IN OBITV SVMMÆ SPEI PRINcipis HENRICI IACOBI VI. SERENISſimi *Britanniæ* magnæ, *Hiberniæ* & *Galliæ* Regis Filii Primogeniti Leſſus.

AVTHORE

DAVIDE WEDDERBVRNO

Scholæ Abredonenſis Moderatore.

EDINBVRGI,

Excudebat Andreas Hart, bibliopola

ANNO DOM. 1612

NOBILISSIMO
& munificentiſsimo Muſarum Patrono, Comiti Mareſchallo.

MAgne Comes cui iam ſexcentis floruit annis
Bello & cade Cami nobilitata domus,
In Reges cui firma fides, & mutua regum
Tot meritis claros gratia fulſit avos:
Accipe quas ſummi lachrymas in funere fudi
Principis. Has alii Muſa dicare vetat.
Sive quibus genitus Princeps connubia ſpecto,
Connubia auſpiciis conciliata tuis:
Sive Abredonanis Muſis, Sophiæque ſacrata
Dii illa intueor munera dia animi.

BRITISH MUSEUM

IN OBITV SVMMÆ SPEI PRINcipis HENRICI

837. h. 14
4

Leſſus.

ERgone ſpes regni cecidit? pavor ergo reliquit
Et tremor hoſtiles animos? choreæque chorique,
Quaſque voluptates dant connubialia feſta,
Quaſq; Hymenęe tuis ſpondent genialia ſacris
Carmina, queiſq; hilarat mentē tibi tæda jugalis
Ite. Dolor ſubeat, gemitus, & triſtia quicquid
Pectora vel condunt alte, vel carmine promunt
Lugubri tacitæ per muta ſilentia noctis.
Tuque adeo, threni ſemper lachrymabilis author,
Melpomene laniata genas, laniata capillos,
Huc ades, & tanto talique heu Principe dignos
Fundito ferali cum carmine fundito fletus.
Veſtra illa Aonides ſit pręfica, veſtra ſorori
Turba comes, triſtes fœdata at pulvere vultus,
At poſitis ſine lege comis, at ſyrmate curas
Funereo teſtata graves, Hinc conſona mœſtæ
Fila Lyræ numeros ciëant in funere tanti
Principis innumeros, & tali heu Principe dignos
Fundite ferali cum carmine fundite fletus.
Vos naſcenti olim puero velut omina fauſta
Omnia venturi ceciniſtis gaudia ſæcli;
Carmine quo quondam Thetidis [fortiſſime Peleu
Cum thalamos ingreſſa tuos,] celebraſtis amores.
Tum reparanda novæ [meminiſtis] mœnia Troiæ.
Spes, & Achilleis iterum peritura ſub armis.
At ſpes & res jam ſublata eſt. Principe dignos
Fundite ferali cum carmine fundite fletus.
Expectata dies aderat quâ ruris alumnæ
Dona tulere ſuo, quę cuiq; eſt copia, Nymphę,
Principi, & his miſtos oracula lęta videre

Fatidico fuerat reſerantes carmine Faunos:
Læta quidem in ſpeciem, ſed quis properata retexat
Fata? Napææ ergo, Dryadeſque & numina ſilvis,
Nota Caledoniis cæcis procul in ſpelęis,
Atque Tai ſolas deſerti ad fluminis undas
Fundite ferali cum carmine fundite fletus.
Quin etiam effuſæ nitidam per candida colla
Cęſariem Xantho, & pulcherrima Deiopeia,
Cymodoceq;, Ephyreque hyalo ſaturata dedere
Vellera, & Oceani imperium pater ipſe parabat
Tradere Neptunus: fratris ſed munera tanta
Haud placuere Iovi. Vos Oceanitides, antris
Secretæ obſcuris, tanto ergo Principe dignos
Fundite ferali cum carmine fundite fletus.
Pręſidium ereptum vobis, nemorumque ſacrorum
Hoſpitibus, Phœbique choro, Polyhymnia teſtis
Tu dea: nam te illi pręeunte potentia fandi
Quanta, ô dum fari licuit! quotieſque diſerti
Illius attonito ſtupuerunt pectore verba
Legati, ętatem plus quam referentia primam!
At nunc illa ſilet vox. Eheu, Principe dignos
Fundite ferali cum carmine fundite fletus.
Tum vero Annales libuit cum volvere priſcos,
Altius atque animo magnorum expendere facta
Heroum, ante omnes Mavortia pectora geſſit
Scotia quos prima repetens ab origine jactat,
Tantorum recolenda patrum cum pręlia narrat:
Quos oculos! quos ille animos! quantum inſtar in ipſo!
Heu non Ferguſia quiſquam de gente vetuſtos
In tantum tollebat avos ſpe: noſtra nec ullo
Tantum ſe tellus quondam jactaſſet alumno.
Sed fata hunc terris tantum oſtendêre, nec ultra
Eſſe ſinunt. Tanto Aonides jam Principe dignos,
Fundite ferali cum carmine fundite fletus.
Non illum a teneris aut mollis inertia ſomni,

Aut

Aut ignava quies potuit corrumpere; quippe
Nunc campo fodere in vacuo calcaribus armos
Bellatoris equi ſolitum, nunc flectere gyros;
Cingere ſeu libuit ſaltus, ſalebroſaque Teſqua
Vincere, ſeu valida contendere cominus haſta.
Nunc molles glomerante gradus per gramen apricum
Invehi equo, paribus dum ſe ſe oſtendit in armis
Arduus, ut cieat belli ſimulachra futuri.
Optati ah toties belli! ne inglorius ævum
Exigeret. Sed fata vetant. Heu Principe dignos
Fundite ferali cum carmine fundite fletus.
   Ah quoties Gallus, quoties miratus Iberus
Illa animi generoſa tuens præludia magni:
Cum tanto oppoſitum in ferrum conſurgeret inde
Impetu, & uſque artem minitantem eluderet arte:
Inde autem in digitos arrecto incenderet actes
Regaleſque animi virtus bene conſcia vires.
Sic Pyrrhus, ſic ipſe, reor, pedes ibat in hoſtem
Pelides, muris poſtquam ſine vindice dextra
Fama Menœtiaden Troiæ cecidiſſe ſub altis.
At nunc congreſſus fatis, haud viribus æquis
Occidit ante diem. Tanto eheu Principe dignos
Fundite ferali cum carmine fundite fletus.
   Nec tamen hæc ideo, ſpiraret ut horrida ſemper
Bella. Feras capiant hæc oblectamina mentes.
Ille etenim ingenuos cura formatus in omnes
Lętitiæ & Charitum mores, tum pollice dulcem
Sollicitare chelyn doctus, tum plaudere motu
Compoſito choreas, agili laquearia ſumma
Nunc pede pertingens, nunc rurſus in aere criſpo
Turbine ſe librans, celerique volumine lapſus
Ad numeroſa iterum ſeſe modulamina verſans.
Quodque videbatur decus unum, ac unica virtus,
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat,
Artis ut æquarit nativa modeſtia laudem.

Prępo

Prępoperæ hoc ſed enim Morti puerilibus annis
Delicias feciſſe fuit, miſerabile dictu.
Haud aliter cygnus liquidi prope ſtagna Cayſtri
Pręſcius æternę noctis memorabile carmen
Integrat, & variè vox nunc criſpata retractat
Certi aliis aliiſque modis præſagia lethi:
Nunc paribus protracta ſonis ferit aurea cœli
Sydera, deficiat donec per inania lapſus
Spiritus, & tenues fugiat cum voce ſub umbras.
Vos ergo Aonides tanto eheu Principe dignos
Fundite ferali cum carmine fundite fletus.
Quid leviora ſequor? repetenda hinc ſeria, caſta
Principis & pietas monet & prudentia rara.
Ille ſui pariter Princeps Princepſque ſuorum,
Indigenis patris virtutibus inclytus, omni
Qua patet, effulſit mundo, ceu Phœbus Eöo
Littore vectus equis altum petit æthera. Quod ſi
Sublimi medium curſu adſcendiſſet ad axem,
Occulto illa ævo creſcens prudentia, totum
Æterna, ęternum luſtraſſet lampade mundum.
Sed cœlo haud terris tanto non lumine dignis
Hunc pater omnipotens voluit luceſcere Solem.
Ergo velut primi Solis ſub lumina caltha
Luteolos pandit flores, reducemque videtur
Gratari jam læta diem, poſt veſpere ſero
Se condit, laſſoque caput jam languida collo
Demittit, ſpernens inviſę lumina Phœbes:
Sic vultu Aonides velato hac lampade dignos
Fundite ferali cum carmine fundite fletus.
At non Aonides ſolæ, ſed & omnibus una
Triſtior incedat mæſto cum murmure diva
Relligio, & cœlum lachrymis, atque aſtra fatiget
Conſcia, ſquallenti deformans lumina vultu.
Heu pietas! heu priſca fides! intactaque falſi
Labe! ſpei juvenem majoris nulla dedere

Nulla

Nulla dabunt annis redeuntia ſęcula ſeris.
Heu miſerande puer! tu ſi quà fata tuliſſent
Ille *Henricus* eras, Calathis date lilia plenis,
Purpureos ſpargat flores, & corpus honore
Hoc ſaltem diva accumulet, melioribus ante
Muneribus jam functa animæ, ut pars edita cœlo
Aſſueſcat patriam cum Chriſto agnoſcere ſedem.
Hîc mirata altos divûm ſacroſque receſſus,
Et Chriſti Angelicis paſſim conſerta maniplis
Agmina, mille novis numeris diſcrimina vocum,
Miraturque notatque ſimul, diademate cincta
Cœleſti, & lachrymas hominum miſeratur inanes,
Dum monet, & magna teſtatur voce per auras,
Parcite ferales jam parcite fundere fletus.
Hæc aliis. Sed enim pater O chariſſime quì te
Solari expediat dubium. Noctiſne per umbras
Objiciat ſeſe in ſomnis: Geniumne parentis
Demittat cœlo. Hæc melior ſententia viſa.
Hic properans, magnumque volans per inane miniſt
Aliger, in ſtratis jactantem pectora, ſolâ
Mœrentemque domo, monitu ſic orſus amico
Solari, & tantis paulatim exſolvere curis.
☞ Maxime Rex ſic te vicit dolor anxius omnem
Ut fugias conſpectum hominum: ut ſolatia vites
Omnia: ſic invicta malis mens ceſsit iniquæ
Sorti, ut mœrori juvet indulgere perenni:
Ah ne ita. Quin potius memori tu pectore volve
Pagina quid ſacra edoceat, quid tempora priſca,
Quid natura, tui quidque experientia ſæcli.
Namque licet luctus [fateor, fatearque neceſſe eſt]
Adſit cauſſa tui, qualem ſupereſſe putârit
Vix quiſ[illegible]n, at meminiſſe decet te maxime Princeps,
Mortal[illegible] genuiſſe, ſuo quem cedere fato
Naturæ lex illa jubet; celeberrima paſsim
Oppida [illegible] vertit, quæque a fundamine regum
Tanto-

Tantorum Imperia, atque ipſos abolere nefando
Exitio aſſiuer it reges, quæ mente minacis
Fortunę adverſas placida perferre procellas
Admonet innumeris inopini turbinis auſis.
Nec te ętas adeo moveat. Sua tempora cuique
Stant fixa; arriſura, ſcio, modo ut illa voluntas
Arriſura tibi, quæ te tot honoribus auxit,
Incolumem quæ te per mille pericula vexit,
Quæ te animi tantis ornavit dotibus: huic te
Et tua dede libens: hujus tu accenſus amore
Corda novo Iobi premito veſtigia natis
Orbati, ac Abræ natum dum deſtinat aris
Vnicum ad arbitrium ſuperi nutumque parentis.
Et tibi præcipiti quamvis ſit morte Ioſias
Præreptus, non orba tamen tua Principe regna.
Quin paſsi graviora alii, quos Græcia quondam,
Quos Aſia excelſos ſolio, ſceptriſque ſuperbos
Viderat, & quorum mirata eſt Roma triumphos.
Dixerat, & tenues ſubito dilapſus in auras
Ex oculis fugit, & volucrûm dein nubila tranans
Remigio alarum cœlo tandem abditus alto eſt.

BRITISH MUSEUM

Deo Gloria

Principis Epitaphium.

SIc Veneris pinxit faciem divinus Apelles
E Pelagi vitreis exorientis aquis,
Corporis ut reliqui ſpeciem quæ pingeret illo
Dignam ore haud uſquam docta reperta manus.
Non ſecus ætatis primæ te maxime Princeps
Regibus effigiem juſſerat eſſe Deus.
Regis at, illo ævi viridantis flore ſenilis
Digna ætas, nuſquam heu aut fuit aut fuerit.

FINIS.